



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

Sandini, Antonio

Bambergæ, 1753

CLXXXVIII. Nicolaus III. Anno Christi 1277. Rodulphi Regis 5. Michael.
Palæol. 17.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65477)

CLXXXVIII.

NICOLAUS III.

ANNO CHRISTI 1277.

RODULPHIREGIS 5. MICHAEL.

PALÆOL. 17.

Certamen de Pontifice subrogando inter octo Cardinales, qui supererant, exortum, ad menses amplius sex tenuit. Ac longius prorogata discordia esset, nisi à Viterbiensibus peractis moram longiorem, inclusi in Prætorium Civitatis coacti fuissent Pontificis electionem properare. Ante diem igitur VII. Kal. Decembr. anno 1277. electus est *Joannes Cajetanus Ursinus*, Cardinalis Diaconus tit. S. Nicolai in Carcere Tulliano, qui propterea *Nicolaus III.* appellari voluit. Romam profectus VII. Kal. Ianuar. inauguratus est. Tantâ erat morum gravitate, ut *Compositus* diceretur.

Rayn. an.
1277. §. 53.
55. 58.
Spond.
§. 4.

Hic egit cum Rodulpho Rege Germanorum, ut rata haberet, quæ ejus nomine Otto Cancellarius in Concilio Lugdunensi Oecum. XIV. & ipse met *Laufanæ Gregorio X.* jurejurando promiserat. Obsecutus Pontifici

Rayn. an.
1278 §. 1.
2. 5. 6. 57.
69. 73
Spond. §.
2. 4. 6.

Bbb 5 Rodul-

Rodolphus, edito diplomate (1) approbavit *confirmationes, concessiones, privilegia & cætera omnia*, quæ ab decessoribus suis Regibus Romanorum, seu Imperatoribus Romanæ Ecclesiæ concessa fuerant: & paulò post, cum rescivisset, operâ Rodulphi Cancellarii sui, in Italiam missi cum potestate, nonnullos Pontificis imperio subiectos populos defecisse ad se, novo diplomate iussit Romanæ Ecclesiæ iura restitui, & Gotifredum legavit, qui Cancellarii acta rescinderet. Hinc Nicolaus ut magis ac magis consuleret Ecclesiasticæ ditioni, omnesque in posterum controversias tolleret, diplomata Ludovici Pii, Ottonis Magni, & Henrici II. ad Rodolphum Regem misit, petens, ut ea comprobaret. Fecit id libens Rodolphus dato diplomate alio, in quo inter cæteras Romanæ Ecclesiæ Urbes *Ferrariam* etiam, & *Comaclum* recenset. Ac ne Rodulphi diplomata aliquando vocarentur in dubium, eadem voluit ab Imperii Electoribus confirmari. Idem Pontifex Carolum Siciliae Regem deduxit, ut Senatoriam Urbis dignitatem deponeret, editaque constitutione ca-

vit
gib
fer
um
rim
Chr
con
tina
Cor
ad
nic
ter
IX
cifo
em
(3
pic
rib
pro
cab
blu
Po
nor
lat

m
na
vit

vit, ne in posterum talis dignitas Re-
gibus aut Principibus externis con-
ferretur, volens insuper eam annu-
um magistratum esse. (2) Pari inte-
rim diligentia procuravit negotia
Christianæ Reipublicæ. Nam pro
confirmanda pace inter Græcam La-
tinamque Ecclesiam, composita in
Concilio Lugdunensi, litteras dedit
ad Michaëlem Palæologum Andro-
nicura ejus filium, Patriarcham, cæ-
terosque Græcos Præsules. Gregorii
IX. sententiam de stigmatibus D. Fran-
cisçi probavit. *Vacantes Ecclesias supra
omnes prædecessores suos velocius expedit.*

(3) In conferendis Sacerdotiis viros
pios & religiosos præoptavit doctio-
ribus, dicere solitus, *doctrinam vitæ
probitate destitutam venenum esse immedi-
cabile.* Decessit Soriani propè Viter-
bium XI. Kal. Septembr. anno 1280.
Pontificatus secundo, mense octavo, die
nono vice simo que. Corpus Romam de-
latum in Æde S. Petri sepultum.

Rayn. an.

1279. §. 52

An. 1280.

§. 23. 27.

Spond.

§. 6.

ANNOTATIONES.

(1) Hoc, atque alia, de quibus comme-
moro, Rodulphi diplomata recitat Ray-
naldus, primum ad an, 1278. §. 45. alterum
§. 52.

§ 51. tertium ad an. 1279. §. 3. quartum, quod est Electorum imperii, habes tum apud Raynaldum ad annum 1279. §. 6. tum apud Bellarminum de Translatione Imperii lib. 3. cap. 31.

(2) Constitutio extat lib. 6. Decretalium ei. de electione & electi potestate cap. *Fundamenta*.

Gulielmus de Nangis in Chron. ad annum 1278. apud Dacherium tom. 11. Spicilegii pag. 567. *Carolus Regem Siciliae Papa Nicolaus à Vicaria Tusciae removens, constitutiones fecit tam de electionibus Praetorum, quàm de electione Senatoris Urbis Romae, & se Senatorem ad vitam fieri procurans Senatoriam jussit per suos parentes ferè per annos duos regi.*

(3) Ptolomæus Lucensis lib. 23. Hist. Eccl. cap. 30. tom. 11. Scriptor. Rer. Italic. pag. 1182. ubi præterea dicit: *Multa virtus eidem attribuitur Historie, quod magnus eleemosynarius, quod devotissime celebrabat, & semper in Missa flebat.*

Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 16. §. 4. *Nicolaus III. ad impetrandam pacem inter Principes Christianos statuit, in Missa solenni, postquam Sacerdos dixit: Pax Domini sit semper vobiscum, ante Agnus De*

Dei cantari *Psalnum*. Lætatus sum cum aliquot versiculis, & Collecta pro pace. Idemque constituit *Joannes XXII.* pro tollendo schismate, ut testatur *Angelus Rocha* in *Paralipomenis commentarii de Campa-*
nis.

CLXXXIX.

MARTINUS IV.

ANNO CHRISTI 1281.

RODULPHI REGIS 9. MICHAEL.

PALÆOL. 21.

Cum duo Cardinales, quorum causa electio novi Pontificis protraheretur, in custodiam à Viterbiensibus ducti essent, VIII. Kal. Martii anno 1281. Ecclesie invitatus præponitur *Martinus IV.* Gallus, *Simon Briensis*, vulgò *de Bria* antea nuncupatus. (1) Viterbio profectus Urbem veterem, ibidem X. Kal. April. consecratur. (2) Hic fratrem suum, qui ad se gratulabundus advolârat, modicè donatum ad impensas itineris, domum dimisit. Ipsi Pontifici, tanquam privato cuidam viro, populus Romanus discordiæ tollendæ gratiâ contulit Senatoriam Urbis dignitatem, quam

Rayn. an.
1281.

S. 1. 3. 6.

14. 25.

Spond.

S. 1. 2. 4.

6. 9.